

3205

SYNODICI.

3206

DCCCCLXI.

⁴¹³ Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 8. 4. luculente scriptus et rubricis distinctus est Residuum cujusdam *Collectio- nis e Pontificum Decretis, Distis PP. et Canonibus Conciliorum* factae, quae modo incipit ab *Epistola Clementis I.* prout legitur ordine *Quinta T. I. Concc. Labb.* edit. *Venet. col. 115. de Comuni Vita.* Sed nobis ita terminatur: *Et quicumque uestrum communem uitam susceptam habet. et nouit se nichil proprium habere! uideat ne pollicitationem suam irritam faciat. sed hoc quod domino est pollicitus fideliter custodiat. ne dampnationem sed premium sibi adquirat. quoniam satius est non uouere quam uotum prout melius potest non perficere.* Hinc succedit *Decretum Leonis.* Leo episcopus seruus seruorum dei omnibus episcopis. *In die resurrectionis usque in sabbatum in albis &c.* Agit de Ordinatione *Psalmorum et Lectio- num* in officio ecclesiastico. Videtur is *Leo VII.* nam sub finem dicitur: *Romani autem diuerso modo agere ceperunt. maxime a tempore quo teutonicis concessum est regimen nostre ecclesie.* Sequitur *Gelasii I.* Decretum ex *Conc. Romano de Lectione Librorum V.* et *N. T.* in officio ecclesiastico, quod extat apud *Gratian. Dist. XV.* sed nobis incipit: *Gelasius. pp. cum LXX. eruditissimis episcopis ordinauit quando et quo tempore libri ueteris et noui testamenti legendi sint.* In *LXX.* (Septuagesima) po-

nunt eptaticum (*Pentateuchum cum Josue et Jud.*) &c. Reliqua breviora sunt Pontificum *Clementis, Pelagii, Victoris, Leonis, Telesphori, Sixti, Innocentii, Siricii, Urbani, Soteris et Nicolai, Patrum Origenis, Gregorii, Augustini, Hieronymi et Isidori, Canonum Apostolic. et Conciliorum Eliberit. Tolet. Nicaeni, Carthag. Afric. Magunt. Meldens. Rhem. Chalced. Laudun. Eduens.* et, quod erronee scriptum videtur, *Hamnontensis*, cujus citatur *Cap. VIII.* in haec verba: *Sicut enim episcopus non plus potest habere quam unam ciuitatem. et uir unam uxorem. ita presbiter unam tantum ecclesiam. Itaque nullus presbiter plures presumat habere ecclesias. si de statu suo gaudere desiderat.* Non occurrit mihi similis sententia, nisi in *Capitulis Herardi Turon. c. 49.* Vide *T. X. Concc. Labb. edit. Venet. col. 63.* Nullus porro in brevioribus his *Decretis* materiarum ordo est.

DCCCCLXII.

Codex chartaceus lat. germ. ⁵⁴⁹ Sec. XV. Folior. 496. 4. a Diuersis currente calamo exaratus et olim *Monasterij Vallis omnium sanctorum in Maurbach Ord. Carthusien prope Wiennam in Austria* Varia sequenti complectitur serie: I. *Tractatum ἀπειρηγαστον de Autoritate Ecclesiae et Conciliorum*, qui constat *Capp. XXVI.* prolixoque *Epilogo*, quo *Dicta* sub uno conspectu collocantur. *Capitis I.* Inscriptio miniata et initium

tium est: *Credere in sanctam ecclesiam et carnis resurrectionem est fundamentum fidei, a quorum fide in fine mundi sunt multi recessuri. Fundamentum fidei secundum apostolum est credere quia deus est et quia requirencium se est remunerator.* &c. Autor in sacris Literis, Patribus et Jure Can. Historiaque ecclesiastica nequaquam hospes Pontificem Conciliis generalibus subdit. Methodo scholasticae minus deditus ita sub finem concludit: *Hec collecta et maioribus meis examinanda corrigenda approbanda aut reprobanda exhibenda non volo reputari maioris auctoritatis, nisi quantum videntur in textu sacre scripture et expositione sanctorum Doctorum fundata, nec esse determinata per rationes argumenta et probationes doctorales scholasticas. Sed qui tales determinaciones habere velit, legat cujusdam magni doctoris tractatulos duos, quorum primus est De Privilegijs et libertate ecclesie per aliquas consideraciones conscriptus et in concilio basilien. compilatus. Secundus est in quo reprobatur compilacionem cujusdam fratris simplicis de hac materia modo scolasticorum doctorum per rationes et argumenta scribentis &c.* Joh. Gersonis Tractatum de Potestate Ecclesiastica et de Origine Juris et Legum, Opp. T. II. col. 225. Item de Appellatione a summo Pontifice in causis Fidei in negotio Libri Joh. Falkenbergii O. P. T. eod. col. 303. innui puto. Quod si verum, erravit supra

Librarius *Basileense* Concilium *Constantiense* subponendo.

II. fol. 50. absque Inscriptio-
ne Tractatus ejusdem Argumenti
in VI. tributus *Consideraciones*,
scriptusque tempore Concilii Ba-
sileensis contra *Eugenium IV.* ejus-
que *Bullam* ad *Academiam Montis Pessulani* continentem *Declara-
tionem Translationis Concilii Fer-
rariam*, qualem ad singulas Aca-
demias dedit, ut videre est in
Collect. Concc. Labb. edit. Venet.
T. XVIII. col. 883 — 84. Ini-
tium: *Consideracio prima. Sancte
ecclesie uniuersali deo militanti. que
in presenti opusculo venit compa-
randa in dignitate et auctoritatis
supereminencia ipsi summo pontifi-
ci ecclesie romane seu alteri eccle-
sie particulari. attribuuntur diuersa
nomina videlicet Ciuitas dei, ortus,
terra. vinea. sponsa et soror christi
sui sponsi &c.* Agit haec I. Consi-
deratio de Ecclesia Uniuersali ejus-
que Membris officialibus. II. de
Romana Ecclesia singillatim. III.
de Concilio generali Ecclesiam
uniuersalem repraesentante. IV. de
Ecclesiae uniuersalis eminentia su-
per Papam. V. de Modo aliquo-
rum procedendi contra generale
Basiliense Concilium, specialiter
in vna *Bulla* quae directa est Stu-
dio *Montis Pessolani*. VI. demum
contra Eos, qui dicunt se non esse
certos de veritate alicuius partis,
id est fluctuantes inter *Eugenium*
et *Basileenses*. Haec, ut plurimum,
verbis Nostri, cujus Nomen tam
parum, ac prioris reperio.

3209

SYNODICI

3210

III. fol. 98. *Sermo magistri Johannis Gersoni cancellarij parisiensis quando rex romanorum iuerat a Constancia ad regem arragonum &c. Jam pluries relatus.*

IV. fol. 111. *Incipiunt casus su. (mmarii) Libri VI. (Decretalium) Johannis An. videlicet Andreae celebris illius Canonum Doctoris Bononiensis. a. 1348. vivis exempti, de quo adi Panzirolum, aliosque Ictorum Bioyexphs, quos cum eo edidit Chr. Godofr. Hofmannus Lipsiae 1721. 4. Initium: De summa trinitate et fide catholica. Fidei. errore Gregorum qui dicebant spiritum sanctum &c. Jam Sec. XV. non semel prelo excusi.*

V. fol. 129. *Incipiunt casus sum. clementinarum domini pauli. Est hic Paulus Leazarus seu de Liazarus Auditor Job. Andreae florens circa an. 1340. cujus Repetitiones Senis 1493. Commentarii in Decretales Venetiis 1496.*

f. prodire. Ejus *Volumen super Clementinis* laudat Tritemius n. 584. e quo fortasse *Casus* nostri excerpti sunt. Eorum initium: *Clemens. Declarat hec litera quid significet verbum privilegij &c. Ad calcem: Expliciunt casus su. Clementinarum domini Pauli de Liazarus doctoris decr. Bonon. commorantis.*

VI. fol. 135. *Isti Casus pertinent ad sextum et prius non sunt summati. Itaque Subplementum ad Casus Job. Andreae mox citatos, quod incipit: Cum de beneficio. Casus Litere gratie que habent clausulam quod provideatur alicui de beneficio &c.*

VII. fol. 144. *Versus causarum in quibus comprehenditur numerus questionum sub singulis literis. Epitome metrica XXXVI. Causarum Decreti Gratiani cum suis Quaestionibus, diversa ab illa, quae in antiquioribus Editionibus praemitti solet et incipiens:*

Cespice preclaro specialiter optime florum &c.

VIII. fol. 147. *Summa, ut e calce praeoccupo, quarti libri Decretalium compilata per Dominum Jo. an. Doctorem Decretorum. Initium: Christi nomen invocans ad honorem ipsius et reuerentissimi patris mei domini G. bonon. archid. &c. ut post plures etiam Sec. XV. Editiones in Traß. Traßat. T. IX. fol. 2. ubi tamen omisum ro G. quod Guidonem de Baisio Praeceptorem et fautorem insignem Job. Andreae denotat.*

Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

IX. fol. 153. *absque titulo Epitome Decreti, paene illa, quae in Edit. inscribitur Decretum abbreviatum in oratione soluta. Incipit: Humanum genus &c. Liber decretorum distinctus est in tres partes &c. Adhaeret brevior Summa metrica diversa ab iis, quae in Edit. leguntur.*

X. fol. 175. *Traßatus, ut in calce, M. Jo. Gerson Cancellarij parisiensis de pollutionibus diurnis utilis confessori. Initium: Scripsi pri-*

Y y

3211

C O D I C E S

3212

pridem aliqua super preparacione ad missam &c. Multoties editus et demum Opp. omn. Antverp. id est Amstelod. 1706. T. III. P. 1. col. 335.

XI. fol. 180. p. 2. Exercicium Cartusianum. Libellus Asceticus Capitibus IX. definitus, quorum primum inscribitur: Quomodo homo seipsum in secreto debeat confiteri. et incipit: Aliqui propter cordis pusillanimitatem putant se desperare &c. Finit: viriliter ergo age et confortaberis. Ama deum et amaberis in eternum et ultra. Amen. Autor mihi ignotus.

XII. fol. 187. Magistri Beronis de Ludofia Sermones III. Primus subscribitur: Iste sermo factus est Wyenne in Aula Collegij ducalis Anno &c. LIIII. in die Parasceues, et ita orditur: Lacescente stomacho cunctisque admodum inanitus viribus et virtutibus, de huius sacrosanctae diei mirandis profluvijs. Viri patres et domini clarissimi paucula exequiare coacti &c. Atque hac stili scabredine illud Job. 19. Omnia consummata sunt, et beneficia Mortis Christi expenduntur. Sermo II. est in laudem Theologiae, dum annuae Disputationes, quas Aulares vocabant, feriarum scholasticarum tempore haberentur. Infit is: A secundissimis austris ducum principibus immortalis memorie que apud deum et homines nota est redolentia fragrantibus &c. Nihil ad historiam. Subscriptio: Hec collatio facta est Wene in aula collegij ducalis Anno &c. LIIII. quinta die Julij. Sermo III. eu-

charisticus est sub finem Disputationum, ut ait Orator, bujus Aule venerabilis per estatem in proximo habitatum. Ejus initium: Ut finis principio correspondeat huius brevissime quam hac pro uice facturus collaciunculam existo &c. In utroque porro hoc Sermonem in verba Johannis 1. c. 3. In hoc cognouimus caritatem Dei, eodem verborum anfractu commentatur. Clausula finalis: Hec collatio facta est in aula collegij ducalis studij wiennensis in profesto exaltacionis sancte crucis. Anno &c. LIIII. Ab hoc igitur tempore Lectiones Academicæ pro studiosa Juventute instaurabantur. De Berone de Ludofia unus succurrit J. J. Locherus, qui Speculi Acad. p. 143. illum a. 1446. Facultatis Philosoph. Decanum egisse testatur.

XIII. fol. 198. Contemplatio, ita in calce, sancti Bernardi abbatis super septem horas Canonicas de passione ihesu christi. Initium: Septies in die laudem dixi tibi. Rogasti me ut aliquem modum contemplandi in passione dei tui monstrarem tibi secundum septem horas diei &c. A Completorio praeter morem orditur Noster, ad singulas Horas meditandi materiam fuggerens et in pias cordis emotiones prorumpens. Non tamen is Bernardus est, sed Sec. XV. ut putem, Ascetes, cujus Contemplatio distinguenda est ab Opusculis eodem paene Titulo Codd. CCCLXVII. DLXXX. &c. relatis.

XIV. fol. 207. p. 2. Speculum monachorum. Rhythmicum hoc initio:

Cbri-

3213

SYNODICI

3214

*Christus nobis tradidit formam hanc viuendi
Et exemplo docuit viam gradiendi
Ut mundana vanitas possit vilipendi
Et eternum gaudium queat comprehendi &c.*

Sex excedit Columnas et finit:

*Ut nos omnes adiuuent qui timent turbamen
Et a malo liberent in eternum. Amen.*

XV. fol. 210. Quod facis fac cicius. Ita inscribitur Sermo e consideratione Poenarum aeternarum et gaudiorum coelestium ad vitae emendationem provocans *Egregij*, ut ad calcem notatur, D. D. Jodoci de Hailbrunna. Virum hunc Academiae nostrae Civem, annisque 1434. et 37. Philosophicae Facult. Decanum in *Locheri Spec. Acad.* p. 142 — 43. reperio. Sermonem ita exorsus est: *Disurus ergo aliquid pro mutua exhortatione et aliquali ad sanctissimum hoc tempus preparatione ni-*

bil inueni pro nunc tam necessarium quam ut dicam mihi ipsi primum dein eciam unicuique vestrum hoc quod Christus dixit ad proditorem suum, Quod facis fac cicius &c. graviterque pertexuit.

XVI. fol. 220. Henrici Septimellensis dicti Samariensis et Pauperis (Italis Arrigo five Arrigbetto de Settimello) oriundi e districtu Florentino Sec. XII. Elegia IV. Libris constans, quae inscribi amat: *De Diversitate Fortunae et Philosophiae Consolatione.* Tituli loco praeest Distichon tale:

*Incipit Hainricus cui non fuit ullus amicus
In tristi vita qui sedet et gemit ita.*

Ipsum Poema sic incipit:

*Quomodo sola sedet probitas flet et ingemit aleph
Facta velud vidua que prius vxor erat. &c.*

Triplicem ejus Editionem memorant Literatores: primam Cbr. Daumii, Chemnitii 1684. 8. alteram Polyc. Leyseri in *Hist. Poet. et Poem. med. aevi*, Halae Magd. 1721. p. 450. 8. tertiam Dom. M. Mannii, Florent. 1730. 4. atque isthaec Versionem Italiam adjunctam habet, seculo uno fortasse ju-

niolem et in Gentis Vocabulario, quod della Crusca nominant, non raro citatam. Cum vero eorum nemo Editionem principem, quae mihi objacet, norit, eam hic paucis designabo. *Liber Elegiorum Henrici Samariensis: alias septimolensis (qui vulgo pauper Henricus inscribitur. Ad episcopum Flo-*

Y y 2

ren.

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4533

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

3215

CODICES

3216

rentinum) *Doctōris quippe celeberrimi De miserorum atque desolatorum philosophica saluberrima consolatione Continens quattuor libros partiales &c. Pag. 2. Editoris*

Prooemium, in quo de Autore, materia, et forma Operis, deque *Hugonis Sacerdotis* metrica ejus commendatione, quae recitatur a v.

Henricus veram docuit qui philosophiam &c.

nec infeliciter aliquot locis variat a *Mss. Helmst.* e quo publicavit *Leyserus l. suprac.* Textus Poematis sat probus jam cum *Leysero*, jam cum *Cod. nostro* conspirat. Ad calcem legitur: *Explicit liber elegiorum pauperis Henrici mille versus complectens Impressus Colonie retro minores Anno dominice geniture. M.CCCC.XC.VII. Ultimo Julii Char. Goth. Signat. Foll. 20. 4. Sed, ut ad*

Codicem redeam, non diffitebor quidem initium *Libri III.* cum *Distichis* 25. excidisse, dabo tamen specimen, opportunas ab eo fuggeri lectiones, si cum *Leysero*, quoniam Editio *Mannii* mihi non adest, comparetur. Ita v. 4. *Leyf. turpia probra pati*, *Cod. turpia verba loqui.* v. 14. *Leyf. et ille canem*, *Cod. canis.* v. 16. *Leyf. foecundis*, *Cod. facundis.* Post v. 30. *Leyf.* defuit *Distichon* seq.

Utitur ignare dulci non usus amaro.

Namque per oppositum noscitur omne bonum.

Quod etiam ab *Edit. Colon.* abest. v. 44. *Leyf. omnia fata*, *Cod. omina dira.* *Colon. omnia dira.* v. 59. *Leyf. et ultor*, *Cod. et ultra.* v. 68. *Leyf. Excursus salis potibus ora rigant*, *Cod. Excussus salis potibus ora bibunt.* V. ult. L. I.

Succurras misero summe Creator ymas, notat *Leyserus: Quid ymas sibi velit non apparet. Apparet sane*, si ad praecedens: *tu Kyrie-leison respicias.* In *Edit. Colon.* evitatis his *Graecis* legitur:

*Omnia coniurant in me, pater alme misertus
Succurras misero spes mea, summe pater.*

Atque haec speciminis ergo. Ad calcem *Cod.* adjecit minio *Librarius:*

*Explicit Henrici liber hic qui samariensis
Materiam miseram qua fuit arte sequens.*

Meminit *Codici* hujus ill. *Mazzucbellius* in *Scritt. d' Italia*, V. I. P. 2. p. 1124. quem de *Henrico*,

cujus *Vitam* a *Phil. Villano* olim scriptam inter *le Vite d'Uomini illustri Fiorent. Venet.* 1747. 4. edi.

edidit, consule. Neuter tamen cognominis *Samariensis* meminit. An illud a *S. Maria*, titulo fortasse Ecclesiae *Calentianae*, quam *Henricus* aliquamdiu curavit? Quod illum in *Cod. Taurin.* male *Rigetum* dici pronunciet *Mazzuchellius*, mirari subit; cum enim *Rigo* ex *Henrico* fecerint Itali, ut multis exemplis ostendi potest, quis Diminutivo *Rigeto* vel *Rigetto* indignetur.

XVII. fol. 240. Tractatus Ascecticus de XII. Gradibus Humilitatis et totidem Gradibus iis obpositis Superbiae, sine Titulo et Nomine Autoris, hoc initio: *Disce a me quia mitis sum et humilis corde. Matth. 11. Ecce magister tuus amator tuus desiderium anime tue dei scilicet filius sapientia patris que ex ore altissimi prodit &c.*

XVIII. fol. 276. Tractatus vel Adnotata potius de Dilectione Dei et Proximi deque Decalogo, officii Hominis, Peccatis et Confessione, pariter absque Titulo et Nomine Autoris. Initium: *Diliges dominum deum tuum — Matth. 22. Diuina scriptura licet sit plena diuinis preceptis, tamen quicumque homo habens usum rationis vult venire in regnum celeste &c.* Multae hinc inde lacunae, ut adeo videantur prima Cogitata in chartam coniecta pro Rudium institutione.

XIX. fol. 357. Ejusmodi Adnotata lingua Germanica de Methodo Confitendi et Officiis Christiani profluentibus e Decalogo in ordine ad rite de Peccatis con-

fitendum, quae incipiunt: *Das erst das da gebort vnd not ist zu ayner fruchtpern peicht, ist das die dy da peichtig wellen werden &c.* Characterere prorsus difficili deproperata.

XX. fol. 413. Sermo Anonymi in illud *Matth. 6. Nemo potest duobus Dominis seruire* hoc initio: *In illo euangelio specialissime docentur religiosi cauere auariciam, tum quia speciali voto se astrinxerunt seruire domino deo, tum quia omnia bona temporalia sunt eis aliena &c.* Sed mox orationem partitur: *Primo dicenda sunt aliqua in generali de ipsa auaricia. 2º specialiter de auaricia religiosorum.* Pars prior multo succinctior. In secunda tria distinguit Ecclesiae tempora Noster: primum ab Apostolis ad *Constantinum M.* Secundum ab hoc ad *Carolum M.* quo tempore quinque solum Papas reprehensibiles in vita sua fuisse ait. De tertio sic: *Tercium tempus malum incepit Anno domini 874. tempore iobannis pape octauo et usque modo declinat in peius semper. In quo caritas valde refriguit, ut predictum fuit in euangelio, et iniquitas plus solito incepit abundare. tunc enim gladius et hereses ex magna parte cessarunt, sed ambitio auaricia gula luxuria simonia pluralitas beneficiorum et cetera vitia frena laxantes amplius quam gladius et hereses christianam fidem usque modo persequuntur &c.* Tum Fratres Mendicantes et iactata ab iis altissima paupertas maxime vellicantur. Non ante *Johannem XXII.* scripsisse Nostrum inde liquet, quod

3219

C O D I C E S

3220

quod narret ab hoc Pontifice collectum numerum Paparum, Cardinalium, Archiepiscoporum &c. ex Ordine S. Benedicti. Ceterum in castris Roberti Lincoln. Guilelmi a S. Amore et Richardi Armach. totus est.

XXI. fol. 421. Collectio variarum Precum ad Deum et Coelites, quae hic quidem inscriptae sunt: *Orationes de veteri testamento valde bone*, verum jam p. 4. ad Novum transeunt. In calce jacet istud ἐπιφώνημα: *Complete sunt orationes iste per manus fratris Michabelis kalczinger de Ratispona ordinis fratrum predicatorum Sub Anno Domini M^o. CCCC^o. XXVIII^o. In die sancte Eufemie virginis. Orate pro eo.*

XXII. fol. 469. Hymni aliquot *Ecclesiastici* cum declaratione, seu, ut in Editionibus Sec. XV. adpellatur, *Commento*. Primus est: *Conditor alme siderum* &c. ut in Dom. Adventus ad Vesperas.

XXIII. fol. 481. Commentariolus de Studio orandi, cujus Thema: *Domine doce nos orare. Luc. II. et initium: Orationibus instate horis et temporibus constitutis et secundum apostolum, sine intermissione orate, sine intermissione autem orare est omnia sua opera et exercitia supernaturalia et temporalia actualiter aut virtualiter in deum tanquam in ultimum finem referre* &c.

XXIV. fol. 483. Sermo ad Carthusianos de Observantia Statutorum in illud: *Beati qui audiunt verbum dei et custodiunt illud.*

Luc. II. Initium: Ut quia moderno tempore quod sine dolore et pauore nec dici potest nec audiri a pijs ac deuotis auribus in bello viciorum atque virtutum religiosorum maior pars ignorantia infirmitate aut malicia miserabiliter succumbunt &c. *Scriptio tempus liquet mox ab ingressu, ubi, postquam VII. Ecclesiae tribulationes ex Apocalypsi eruiisset, ita profectur: Ita ponit Heinricus de Hassia in quodam tractatu super missa et in tractatu de ruina ecclesie et petrus Cardinalis cameracen. in quodam sermone ubi dicit quod illa 4^a tribulatio incepit ab anno domini M^o C^o et durabit usque ad quoddam magnum scisma — quod scisma verisimiliter modo est quia tale prius nunquam fuit ab initio ecclesie* &c. Per decursum mentio fit etiam *Statutorum Guidonis* seu *Guigonis Prioris Gen. V. Cartusiae.*

DCCCCLXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 636 XV. Folior. 423. 4. olim antiquissimi Coenobii ad D. Pantaleonem O. S. B. Coloniae Varia variis manibus exarata complectitur, quae ordine notabimus. I. *Questio notabilis*. Ita inscribitur *Dissertatio seu Quodlibet de Potestate Papae et Ecclesiae seu Concilii generalis*, cujus initium: *Utrum pontifex summus papa potestate sit peditus ad omnia quibus gubernatur ecclesia* &c. Concilio primas dat Autor ἀγωνιστος, addit tamen sub finem: *Sed licet modo concluderim concilium esse supra papam,*
ta-